

quam ab eo accepit. Unde Seneca (*de benef.*) dixit: *Hominis gratos similes esse fecundae terrae, quae cultori suo uberioris fructus, hoc est, plura grana reddit, quam accipit.* Flumina, quae a mari progrediuntur, ad ipsam laetantur revertuntur, et quasi cum usura, et lucro, quod acceperunt, reddunt: nam amaram, et salsam aquam ab eo mutuantur, dulcem vero, ac suavem ei restitunt. Copiosa Dei beneficia quid quaeso sunt, nisi flumina quaedam, quae ex immenso illo mari oceano divinae liberalitatis, et munificentiae proficiuntur? quae proinde oportet, ut per gratiarum actionem, omnia nobis in Deum referentibus, ad ipsam revertantur, ut his verbis eleganter dixit d. Bernardus (*super Cant.*): *Origo fontium, et fluviorum mare est, virtutum, et scientiarum Dominus Iesus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse Rex gloriae? sed, et iuxta Annae canticum, idem ipse Deus scientiarum Dominus est, continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant. Non solum autem, sed et si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Thesauri etiam sapientiae, et scientiae tibi omnes absconditi sunt. Quid? Casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria, nonne viciulis illius sunt? Quod si copiae aequarum secretis, subterraneisque recursibus incessanter aequora petunt, ut inde recursus ad visus, usque nostros iungi, et insalubri erumpant obsequio, cur non etiam spiritualis rivi, ut arca mentium rigare non desinat, proprio fonti, sine fraude, et sine intermissione reddantur? Ad locum unde exeunt, revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Consonant his, quae acule dixit Plutarchus (*in moral.*): *Sicut mensarii non gratiam reddunt deposita pigra, ut quae in hoc ipsum acceperunt, restituant, sic nos, quod a diis accepimus. Ad haec quid est, quod David dicit (Ps. 18): *Coeli enarrant gloriam Dei, nisi quod pro beneficio pulchritudinis, et soliditatis sibi collatae, clamoroso quodam silentio divinam liberalitatem commendat? Sol deinde regulari suo motu ab Orienti ad Occidentem plagam incessanter girans, Creatorem suum absque ulla interpolatione laudat. Unde est, quod cum ad praecipuum Gedeonis, olim illo dicente (*cap. 10*): *Sol contra Gabaonem ne movearis, sol a motu suo, et consequenter a divina laude, quam per regularem suum motum Creatori suo exhibebat, cessarit continuo, Iosue, quia videbatur sibi cetero motum prohibens, quasi os eius ad divinas laudes promendae sibi obtulisse, ipse absque ulla mora, os suum aperuit ad illas prosequendas, et vice illius concinendas, ut ad verbi paraphrasas chaldaicus, qui super citata verba: *Sol contra Gabaonem ne movearis, inquit: Laudabat Iosue coram Domino Iehova, et ait: Sol contra Gabaonem ne movearis. Ac tandem orbis terrarum, de quo Salomon dixit (Sop. 1): *Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, pro beneficio suae creationis, continuo laudat suum Creatorem, dum omnibus nobis uberm illum laudandi materiam abunde suggerit. Hinc Trimegistus (*lib. Pima. Da. 5*), sic nuncupatus, quasi *ter Maximus*, diceretur, quia et summus sacerdos, et sa-******

pietissimus philosophus, et rex potentissimus esset, in libro Pimandri dixit: *Tota mundi conspiratio, et rerum pulcherrimus ordo contemplandi Deum materiam suggerit: est enim natura veluti liber unus divinitate plenus. His persimilia sunt verba magoi Basilii (*ho. 11. Examer.*) dicentis: *Mundus hic universus, veluti liber quidam inscriptus est, ut Dei gloriam denuncians ocellum, et invisibilem Deo maiestatem per se ipsum annuncians tibi, qui mentem habes ad intelligentiam veritatis.**

His ab animantibus, et a rebus inanimatis peccatis exemplis vellem vos omnes non solum excitari, sed et inflammari ad gratitudinem erga Deum praeslandam; ut tamen perfecta illa sit, et omnibus numeris absoluta, oportet duo apprimere observare. Primum, ut non solum pro magnis, sed pro minimis beneficiis assuescat animus Deo gratias reddere, ut his verbis eleganter dixit d. Bernardus (*ser. 51. in Cant.*): *Diligenter considera, quae tibi apponuntur, ut nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla; denique conetur colligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minima beneficia oblivisci; haec Bernardus: quae mihi sane didicisse videtur ex verbis illis Christi Domini (*Matth. 25*): *Euge serve bone, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: immo d. Augustinus (*lib. 2. Conf. c. 7. l. 1*) non solum gratias agebat pro magnis, et parvis beneficiis, sed et pro malis, quae non fecerat: sic enim Christum Dominum alloquebatur: *Gratias tuae deputo, et misericordiae tuae, quia peccata meae, tanquam glanciem solvisti; gratiae tuae, et quaecumque non feci mala; quid enim facere non potui? Secundum est, ut non solum in prosperis, sed et in adversis gratiae Deo referantur: id enim aperte voluit d. Paulus, cum dixit (*Coloss. 3. 17*): *In omnibus gratias agentes, hoc est, tam in secundis, et felicibus, quam in molestis, et infortunatis successibus. In cuius figuram lego, fortissimum illum ducem Aod aequae bene sinistrae, ac dexterae manu ense usum fuisse ad expugnandos hostes; simileque huic est, quod Aristoteles (*lib. 2. Politic.*) commemorat, dum ait, Platonem hanc legem statuisse, ut civis omnes ad arma exercenda indifferenter, et indiscriminatum, dextera, et sinistra uterentur. Hac dexterae praediti esse debent rerum eventibus gratias Deo referant: *In omnibus gratias agentes: quod et philomela, suavissimam canis avis, nos facere monet, dum ita suavi canit concentu in caliginosae noctis tenebris, ac in ipso aurorae, aut meridiei tempore.*****

Sed audiamus, si placeat, quae catholicae Ecclesiae Patres in hoc eodem genere argumenti sapienter scripserunt. D. Augustinus explicans illa verba: *Benedicam Dominum in omni tempore, inquit: Dicis, quando benedicam Dominum? Ait tibi aliquis, quando tibi beneficit, quando abundant secularia, quando multum abundant frumenti, olei, vini, auri, argenti, mercipiorum, pecorum, salusque ista mortalis incorrupta persistit; ea, quae nascuntur, crescant omnia, nihil immatura morte subtrahitur, felicitas tota abundat in domo, circumspicit omnia, tunc be-*

nedices Domino? Non, sed in omni tempore. Ergo, et tunc, et quando ista secundum tempus, et secundum flagella Domini Dei nostri turbantur, auferuntur, minus nascuntur, iam nata dilabuntur, et inde sequitur penuria, egestas, labor, et tentatio. Sed tu, qui cantas tibi: benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, et quando ista dat, benedic, et quando ista tollit, benedic. Quia ille dat, ille tollit, sed seipsum a benedicente se non tollit. Idem etiam s. Augustinus (*super Psalm. 91*) alia pio eius pariter, et ingenioso animo digna, versans illa verba: *Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo Altissime: ad annuncianum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem, in hunc modum scripsit: Canta ore, psalle operibus. Ad quam rem? Ad annuncianum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. Quid tibi vult, quia mane annuncianum est misericordia Dei, et per noctes veritas Dei? Mane dicitur, quando nobis bene est; nox dicitur, quando tristitia tribulationis est. Quid ergo dixit brevier? Quando tibi bene est, gaudes Deo, quia misericordia ipsius est. Sed dices: si misericordia Dei est, quando bene mihi est, crudelitas ergo ipsius est, quando male mihi est. Non, sed quando bene est, lauda misericordiam, quando male est, lauda veritatem, quia qui peccata flagellat, non est iniquus. Iam in nocte erat Daniel, erat enim in captivitate, quando Deum laudabat, in locu erat, et per noctem confitebatur veritatem Dei; dicebat enim: *Peccavimus, inique egimus, iniquitatem fecimus. Tibi Domine gloria, nobis confusio. Cum misericordiam annuncias mane, et veritatem per noctem, semper laudas Deum, semper confiteris Deo, et psallis nomini eius. In deachordo psalterio, cum cantico in cithara, hoc est, verbo, et opere. Cuius cantico in verbo, in cithara, in opere. Hanc eandem doctrinam docuit nos d. Ambrosius (*ser. 7*), nam exponens verba illa: *Memor fui nocte nominis tui, ait in haec verba: Non magnum est, si tunc Domino gratias agas, quando in prosperis et secundis es; sed si tunc adhaerens Christo, quando te persecutio exangit, quando aliqua procella perturbat, amisisti filium; in illo dolore, in illa nocte, in illa destitutione, memento Domini Dei tui, ne in tua praecarieris aerumna: pulsus in exilium, memento, memento Domini Dei tui, patriae interdictae charitatem Deo praeferas; alicuius divitis oppressus potentia, amisisti proprias facultates, memento Domini Dei tui, ne te nox egestatis abducat a devotionis affectu: hoc est enim mandatum legis, ut id nocte magis quaeras, quando magis exardiat a Domino, et possis dicere: In tribulatione invocavi Dominum. Ac tandem d. Bernardus (*serm. de Cant. Ezechiae Regis*) explicans illa verba: *De mane usque ad vesperam finies me, sic ait: Finies me, id est, consummabis me. Non in solo mane visitationis, aut tantum in vespera tentationis, sed in utroque simul erit perfectio mea. Stultus ego, qui tantum sperabam usque ad mane, cum David dicit: A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino. Et quoniam pusillus in spe, quasi leo, sic contrivit omnia ossa mea, et quae omne videlicet, de quo adhuc sub tutela gratiae fu-****

turorum improvidus confidebat. Contrivit autem diaboli, qui tanquam leo rugiens circum visitationis, quem decoret, Tu ergo Domine hanc contritionem humiliatum, et probatum, de mane usque ad vesperam finies me; quoniam factum est vesperae, et mane dies unus. Quomobrem ego, ut didici, benedicam Dominum in omni tempore, hoc est, mane, et vesperae; non sicut ille, qui confitebatur tibi, cum benefecisset ei; non sicut illi, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt; sed dicam cum sanctis: si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? Et in mane quidem, sicut pulvis hirundinis, sic clamabo, in vesperae autem meditabor, ut columba, quatenus et cum gratias matutinum arviserit, in modum hirundinis exultans, et clamans gratias agam pro visitatione: et cum vesperae ingruerit, non deris sacrificium esperitum, cum instar columbae gemens lacrymans fundam in tribulatione. Sic enim describit utrunque tempus Deo, cum, et ad esperum demorabitur stetus, et ad matutinum laetitia. Placeat utrunque fletus, et peccator compunctus, et iustus decolus, cui et regione displicet iam ingratus stultus, quam peccator securus; haec tenus d. Bernardus: quibus tam in secundis, quam adversis gratos nos Deo esse debere docet. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XII.

In eadem verba: Magnificat anima mea Dominum: idem gratitudinis argumentum prosequimur, tres illius gradus ex sententia d. Thomae multiplici tan humanam, quam sacra eruitione illustrantes, paucisque contra ingratitude vitiū invehimur, ac de divinis laudibus in gratiarum actionem decantandis non pauca tradimus.

Ut virtutem gratitudinis Deo valde charam, et nobis mirum in modum utilem ad praxim reducere facilius valeamus, oportebit varios illius exponere gradus, ut quantum cum divinae gratiae adiutorio possibile nobis fuerit per illos omnes ascendentes, Creatori, ac summo benefactori nostro grati existamus. Assignat angelicus doctor s. Thomas hos omnes gradus (*in 2. 2. quaest. 106. art. 2*) dicens: *Habet tamen diversos gradus secundum ordinem eorum, quae ad gratitudinem requiruntur. In qua primum est, quod homo accipit beneficium recognoscat. Secundum est, quod laudet, et gratias agat. Tertium est, quod retribuat pro loco, et tempore secundum suam facultatem. Ecce sanctus Thomas primum, et infimum gradum gratitudinis constituit beneficii recognitionem. Hoc gratitudinis genus, lametsi infimum, tam faciebat s. Theodorici Ancyræ episcopus, ut in concione habita in Concilio Ephesino (*ca. 10. tom. 6*) diceret: *Solet uberior illis obviare, qui grato animo gratiam accipiunt: tantum enim plerumque donorum praestatur, quantum est gratitudo, qui eiusmodi donis potius**

quare cum de accepto dono donatoris benignitate gratia recordatione agnovistis, non modo pro acceptis fecistis salis, verum ad maiorem quoque beneficiorum largitionem donatorem adstringistis. Adnotat autem angelicus doctor s. Thomas (ubi sup.), quod sicut recognitio haec beneficii est primus, et infimus gratitudinis gradus, ita non recognoscere beneficium est supremus, ac ultimus ingratitude gradus: verba illius sunt haec: *Sed quia quod est ultimum in generatione, est primum in resolutione, ideo primus ingratitude gradus est, ut homo beneficium non retribuatur. Secundus est, ut dissimulet, quasi non demonstrans se beneficium accepisse. Tertium, et gravissimum est, quod non recognoscat, sive per oblivionem, sive quocumque alio modo. Hinc Seneca (lib. 3. de benef.) dixit: Ingratus est, qui dissimulat; ingrator est, qui non reddat; et ingratus omnium, qui oblitus est. Quare beati in coelesti patria, ut observavit d. Gregorius (lib. 22. mor. c. 5): Coronas suas mittebant ante agnum: quia certaminum suorum victorias non sibi adscribentes, sed Christo, ab eo quidquid boni habebant, accepisse recognoscebant. Secundus gratitudinis gradus, quem assignat s. Thomas, est, quod verbis laudemus, et gratias agamus benefactori. Ex defectu huius rex Ezechias prinitus fuit: ut enim tradit Ioseph (in lib. de bello iud.), postquam Dominus ei miserat angelum, qui occidit centum octuaginta quinque milia hostium suorum, debebat, ut moris erat, ob hoc singulare protectionis beneficium, divinae laudis canticum intonare; quod quia omisit, Deus graviter illum punivit. Hoc gratitudinis gradus erga Deum familiare adeo erat Virgini Deiparae, ut seraphicus noster s. Bonaventura (c. 3. Mediat.) tradat, illam primam inventricem fuisse illorum verborum: *Deo gratias*, a religiosis viris satis usurpatorum; sic enim ait: *Ne forte in salutatione sua Virgo a Dei laudibus tolleretur: si quis eam salutabat, illi pro salutacione, Deo gratias, referabat. Idipsum tradit etiam d. Antoninus (4 p. sum. Theol. tit. 6 §. 2) in haec verba: Virgo cum vocabatur, respondere solita erat, Deo gratias, ut illud modicum verbum non esset sine laude Dei. Huc etiam faciunt verba d. Augustini (ep. 77. ad Aurelian.) dicentis: Quid melius animo geramus, et ore promanans, et calamo exprimanus, quam Deo gratias? hoc enim nec dici brevius, nec audiri laetius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Ego vero addo, divinae maiestati pergrata adeo esse haec verba, ut incessanter velit beatos in coelesti patria ore illa versare; testatur enim d. Ioannes lib. surarum revelationum, se audisse venerabiles illos senes ante thronum Agni, sonora voce sine fine clamantes: *Honor, virtus, gloria, et gratiarum actio Deo nostro in saecula saeculorum. Hoc genus gratitudinis divinas laudes decantandi, licet ad omnes spectet, specialiter tamen ratione religiosam vitam agentibus convenit, ut non obscure mihi significare videntur verba illa regii vatis (Psal. 134): Laudate servi Domini, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri: in quibus duplex servorum Dei genus distinguit; quorum quidam in beata illa ae-***

ternae felicitatis domo commorantur; alii vero, qui in atris illius habitant, hoc est, in domibus monasticis sacrum religionum, ubi novitii degunt, futuri professi in coelesti illa patria: tam ergo illos, quam istos invitat David ad laudandum Dominum (ibid.): *Laudate servi Domini, qui statis in domo Domini, in atris domus Dei nostri. S. Basilium excellentiam religionis alta mente perpendens, apte salis statum religionis statum beatorum comparavit, quia quemadmodum in illo nulla est auri, et argenti fames, nulla bonorum temporalium sitis, ita statum religiosum colentes, per votum paupertatis, omne dominium, et proprietatem, ac liberum earum usum per solemnem professionem a se abdicant; et sicut in illo beatitudinis statu maxime puritas viget, quia, ut ait Ioannes (Apo. 21): *Non intrabit in eam aliquid coquinae, aut abominationem faciens*, adeo ut nec licita alioquin matrimonia, et multo minus usus eorum ibi permittatur, Christo dicente (Matth. 22): *Non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in caelo*; ita religiosi statum cultores per solemne castitatis votum, ad matrimonium inhabiles sese reddunt, et carnis lasciviam despiciunt, et a venire per totam vitam se abstinere pollicentur: et sicut in coelesti illa Ierusalem omnes ad nutum suo Creatori obediunt, et sequuntur Agnum, quocumque ierit; non secus religiosi viri propter solemne obedientiae votum praelati voluntatem sequuntur, quocumque illos ducere velit; et veluti inferiores coeli, qui ad motum primi mobilis rapiuntur, ipsi ad motum praelati moventur: deinde sicut in coelesti beatitudine summa effulget animorum unitas, et concordia, adeo ut melius, quam in primitiva ecclesia coelestiae omnes sint cor unum, et anima una; ita licet in religionem, veluti in mysticam arcam Noe, permulti diversarum nationum, per plures etiam naturas quaedam, ac congenita antipathia inter se dissidentes, supernaturali tamen charitate uniti, mutuo amore sibi consentiunt. Unde haec ratione magnus Dionysius Areopagita (de eccl. hier. c. 10) putat, religiosum monachum vocari, quia graeco idiomate significat unitatem, quam monachi apprime amplecti tenentur: ac tandem quemadmodum in coelesti patria divinae laudum concentus nec per momentum cessat, Davide dicente (Psal. 83): *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te*: et Ioanne asserente (Apo. 4): *Quatuor animalia requiem non habebant die, ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus; ita in religione, quae coelestis illius Ierusalem imago quaedam est, divinae laudes singulis diebus, statutis horis, cum magno iuribus decantantur: sicut enim olim quidam erant in templo Domini ad divina cantica recitanda destinati (1. Par. 15. 16. et 17): Constituit cantatores, et cantatrices; ad eundem certum modum habet Deus in magno templo Ecclesiae catholicae monachos cantores, et moniales cantatrices, ad divinas laudes concinendas destinatos. Et quidem si rex David, cum variis occupationibus tam belli, quam reipublicae regimini gravatus, et oppressus, septies quotidie divinas lau-**

ribus vacabat (Psal. 108): *Septies in die laudem dixi tibi*: super quem locum d. Augustinus ait: *Septies in die significat, semper; solet esse quippe iste numerus universalitatis indicium, quia per septem dies currentes, et decurrentes, tempora universa volentur: unde et idem David haec continuationem significans inquit (Psal. 33): Semper laus eius in ore meo: si inquam David tot publicis negotiis distentus a divinis laudibus non cessabat, quanto magis oportebit religiosos, quos Deus a saeculi curis, a rerum temporalium sollicitudinibus liberavit, divinae laudis immemores non esse, sed sollicitos, ac fideles in hoc genere vegetalis, et honorifici tributi regi Christo pendendo? Sane regis propheta David adeo divinis laudibus affectus erat, ut silentio praetermissis aliis causis, ob patrata scelera in infernum detruderet, hanc solum assignavit, quia ibi semper adest continua cessatio a divinis: postquam enim dixerat (Psal. 6): *Eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam, continuo subiunxit: Quia non est in morte, scilicet aeterna, qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi? Ut tamen divinae laudis gratitudo grata et accepta sit Domino, oportet, ut conscientia nostra sit pura, ut ait d. Paulus (1. Tim. 2): *Levantes puras manus ad Deum; ut enim dixit Ecclesiasticus (c. 13): Non est speciosa laus in ore peccatoris. Unde Origenes (hom. 6) eleganter dixit: Quis putas est ita canorus vocis, et ita spiritus purae mentis, qui sincere canat, ut cantilena eius divinum delectare possit auditum? Ille profecto est, qui nullum raucum habet in se peccati sonum, qui nihil offensionis in lingua, nihil crassitudinis in spiritu gerit; ille potest dicere: Ego Domino canam. Atque hoc facit, quod Israelitae in captivitate Babylonis flentes clamabant (Psal. 136): *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? quasi dicerent, defixi in terra hac misera, plenique terrenis affectionibus, et conglutinati in pulvere anima nostra, quomodo cantabimus Domino canticum laudis? Ad hoc sane alludens d. Chrysostomus (hom. 6. in epist. ad Rom.) acule dixit: Si in terra barbara canere Domino fas non erat, quanto minus id fas erit animae barbarae? si captivis hoc non licebat, quanto potius, qui servi sunt peccati, et alienam vitam vivunt, nullo, clausoque ore esse debent, et organa, ac vasa cantici suspendere? Hinc sponsus ad hoc significandum dixit (Cant. 2): *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora: super quae verba Origenes (hom. 4. in Cant.) adnotavit, faciem sponsae esse animam divinae gratiae pulchritudine sine macula, et ruga, oculis Dei placentem, cuius propterea vox laudis dulcis, ac snavis est eius auribus; ut enim inquit d. Bernardus (serm. 62. in Cant.): Quia non displicet vox, si displicet facies: necesse est ut simul contentant, et pulchritudo faciei, et suavitas vocis.*****

Hinc licet ansam sumere ad tertium, et supremum gratitudinis gradum explicandum: quae dixit d. Thomas praecitato loco consistere in recompensatione beneficij per opera,

in obsequium benefactoris exhibitum; unde Tobias (c. 13) dixit: *Regem saeculorum exaltate in operibus vestris: humilitas namque sanctorum, pietas, patientia, castitas, misericordia, ac ceterarum virtutum opera gratificantur Deo, et magnificent Christum, immo et coronant, ut Dominus Zachariae dixit (Zach. 6): Ab istis sumes aurum, et argentum, et facies coronas; et pones in capite Iesu sacerdotis magni: super quem locum sanctus pater Hieronymus (sup. c. 6. Zach.), necnon doctissimus Rupertus docent, quod per singulas virtutes nostras Dominus coronatur. Aurum, et argentum bona opera sanctorum sunt: ex illis coronas sibi efficit Christus Iesus, quibus gloriose magnificatur, et honorificatur, et quasi triumphum agens procedit, et regnat. Sic s. Ioannes in Apocalypsi vidit eum albo illo insidentem, toto coelesti exercitu comitantem: *Et in capite eius, ait, didamata multa: nostra enim obedientia Christus coronatur, nostra humilitate, nostra patientia, ceterisque virtutum sanctis operibus coronam illi imponimus ornatum omni lapide pretioso, his vere Deo gratulamur, et excellentius multo, quam voce tenui; unde Augustinus (in psal. 148) inquit: Cum laudatis Deum, tunc laudate: canet vox, canet vita, canent sancte; quemadmodum dulcem musicam exaltationis strepitus, sic quae ero profirimus, laudes, vita perturbat impia. Noli ergo bonae cantilena tuae obstrepere moribus malis. Sicut enim luscina dulciter canente molestus est crocitanus corvus, ita lingua dulciter Deum laudante molesti sunt instar corvi crocitanes auti mores. O quanto dulciter nostra luscina, idest, Virgo intergramma, cecinit! nihil in eius musica suavissima obstrepbat, et ore canebat, et vita, in immo vita magis, quam ore: ero enim non semper Deum poterat laudibus extollere, vita semper extollebat. Erat illius vita perpetuum canticum, et novum canticum, quia nova vita erat, inaudita, nunquam in orbe hoc concepta. Hoc habet Dei laus, a vitae profecta integritate, ut observavit idem sanctissimus pater Augustinus (in Psal. 146), cessat nunquam, nunquam silet, cum ea sileat, quae ex ore emanat: Non solum, inquit, vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua. Cum ergo vox cantaveris, silebis aliquando: ut vita sit canta, ut nunquam sileas: lingua tua ad horam laudat, vita tua semper laudet: et in Psal. 148: Tunc, ait, desinis laudare Deum, quando a iustitia, et ab eo quod illi placet, declinas: non cesset quique bene vivere, et semper laudabit Deum. Cum ergo sanctissima Virgo sanctissimae vivere nunquam cessavit, sane semper Deum perpetuo suavissimae vitae cantico laudavit. Nos autem semper, vel magna, vel tenuis aliqua peccati raucedo occupat, Virgo sanctissima semper voce clarissima, semper vita absque ullius raucedinis, idest, peccati vestigio, Dei laudes celebravit, quibus Creatori suo omnium creaturarum tam terrestrium, quam coelestium gratissima exitiit.**

Sed pro dolor! nos e contra nostro benefactori Deo, a quo singulis momentis, quae infinita sunt, totidem beneficiis quotidie cumulamur, ingratisimos nos exhibemus, dum

bonis ab eo collatis, eisdem in eius offensam abutimur, in varia peccata frequenter prolantes: similes certe in hoc facti illis, de quibus conqueritur Deus per Oseam (*Osee c. 2*): *Argentum multiplicavi eis, et aurum quas fecerunt Baal; quemadmodum enim, postquam Deus filius Israel magna auri, et argenti copia locupletaverat, ipsi auro illo, et argenti abutentes idolum ex his metallis conflaverunt, quem, lamquam Deum, genuflectentes adoraverunt; ita permulti divitiis, quibus a Deo liberaliter locupletati sunt, perperam utentes, et in pravos usus convertentes, hic ad calumniam, et fraudem, ille ad vincendam iniustam litem, hic ad lasciviam sectandam, ille ad dignitatem simoniae obtinendam, divinam maiestatem graviter offendunt. Explicat hoc ingeniose Alciatus (*in quod. suo embi.*), cuius titulus est, *De capra la-tante catulum lupi*: describit in eo capram, cuius uberibus lactabatur catulus lupi, qui postquam iam creverat, et incressatus fuerat, capram occidit, et devoravit. Haec autem emblemata iheral scriptio: *Mea me post ubera pascat*. Attendite quaeso, o ingrati, fabulosam hanc narrationem, in vobis tamen verissimam historiam, cum ex singulis beneficis honoris, pulchritudinis, divitiarum, et similibus, quibus divina largitate ditati esis, arma confectis ad impugnamdam Deum, divinasque eius leges dirumpendas; quidam ex vobis, ex dignitate, et honore in vos collato intumescendi, et superbiendi, et alios despicienti licentiam, et occasione sumitis; quidam ex vestris, quibus deus vos ornavit, et corporis elegantia, et libidini vacandi materiam facit; quidam tandem rerum temporalium utilitatem ad prava vestra desideria explenda, in magnam Dei iniuriam convertitis, imitantes in ubera suo catulum lupi, qui adversus capram ad ubera sua illum lactantem acriter insurrexit; unde non immerito de vobis conqueritur Deus (*Isa. 1*): *Filios enutriti, et exaltati, ipsi autem spreverunt me. Ad hoc etiam ipsum videntur mihi veteres quidam poetae alluisse depingentes regiam aquilam, et transfixam sagittis, cuius pennae desumptae fuerant ab ipsa aquila, cui illum apposuerunt subscriptionem: *ob ipsa contra ipsam*. Contempler ego iuxta illud (*Deut. 323*): *Sicut aquila proccans ad volandum pullos suos, Christum Dominum, sicut regiam aquilam, super lignum crucis expansam, clavorum sagittis confossum, quorum ferram materiam ad humanis usibus inservendum ipse creaverat, perdidit Indacae, et nos omnes peccatores pro manus illorum ad manus, pectus, et pedes eius terchrandos transulimus, et, ut uno verbo dicam, summa ingratitudine laborantes, utitur fruentis, et fruimur utendis, in magno Creatoris nostri iniuriam, quae summa omnium est perversio, ac suprema ingratitudo, adeo ut in hoc brutis animalibus deteriores efficiamur, cum pleraque ex illis, quoad possint, benefactoribus suis gratiam rependant, ut late supra ostendimus. Non solum humanum, sed et divinum proverbium inquit per os Salomonis (*Prov. 9*): *Aquae furtivae dulciores sunt; illo significans, meo iudicio, eas****

operationes gratiores, et dulciores peccatori sibi videri, quas non dicam mutavim, sed et furatus est brutis animalibus, vindictam a lupulo fraudem, et fallaciam a vulpe: at ingratitudinem a nullo potuit animalium addiscere, cum et ferocissimorum animalium saevitiam, et crudelitatem beneficia in se collata edomaverint, Iacob dicente (*c. 3*): *Omnium natura bestiarum, et volucrum, et serpentum edomita sunt a natura humana: reliquum est igitur, ut ingratus non aliunde, quam a Luciferio, omnium ingratorum ingratisimo, inficere, omnium ingratorum ingratisimo, ingratitudinem mutuaverit. Timeo ergo, o ingrati, ne sicut luciferum imitami, pariter cum eo puniamini, dum ad aemulationem eius hoc coelitus vobis collata, quae in Dei gloriam referre debebatis, ad effraenes vestros appetitus explendas trahitis. Notanter dico, trahitis, quia creaturas in Dei gloriam ab ipso productas cogitis, et per vim compellitis, ut vestris inserviant peccatis. Hac enim ratione ipse Deus dixit (*Isa. 43*): *Servire me fecisti in peccatis tuis. Unde creaturae tamquam coactae, et violentiam patientes, ingemiscunt, et quasi parturientes prae gravitate doloris conperuntur, ut expressis verbis docuit Apostolus (*ad Rom. 8*) dicens: Vanitati creatura subiecta est, non volens: et paulo post: Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.**

Ceterum, ut proposito gratitudinis argumento utcumque satisfaciamus, duplicem difficultatem oportet solvamus. Prima est, quia d. Thomas docet (*2.2. q. 106. art. 6*), ad rationem gratitudinis pertinere, ut qui beneficium accepit, aliquid maius illo tribuat benefactori; quod subtili quadam ratione convincit, in haec verba: *Recompensatio gratiae respicit beneficium secundum voluntatem benefactoris, in quo quidem praecipue hoc commendabile videtur, quod gratis beneficium contulit, ad quod non tenebatur: et ideo, qui beneficium accepit, ad hoc obligatur ex debito honestatis, ut similiter aliquid gratis impendat; non autem videtur gratis aliquid impendere, nisi excedat quantitatem accepti beneficii, quia quomodo recompensat minus, vel aequale, non videtur facere gratis, sed reddere quod accepit, et ideo grata recompensatio semper tendit, ut pro suo posse aliquid maius retribuatur. Cum ergo nulla creaturarum, etiam beatissima Virgo, possit aliquid maius Deo reddere pro beneficiis ab eo acceptis, cum alterum illorum sit beneficium incarnationis Verbi divini, alterum beneficium iustificationis, per quod tres divinae personae singulari quadam ratione iusto se communicant, iuxta illud (*Ioan. 14*): *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, consequens hinc fit, nullam creaturam proprie, et vere Deo gratam esse posse, cum nulla possit aliquid maius, quam ab eo accepit, ei retribuere. Sane non latuit haec difficultas anglicum Doctorem, respondit tamen sufficere ad rationem veram, et propriam gratitudinis, affectum voluntatis, quando adest impossibilitas aliquid maius retribuendi; unde Seneca (*li. 3. de benef.*) dixit: *Si tamen non possit, sufficit ad gratitudinem recompensandi voluntas. Hanc igitur qui Deo offert pro bene-***

ficiis acceptis, vere et proprie virtutem gratitudinis erga Deum exercet. Secunda difficultas est, magis teneatur innocens, quam peccator ad gratias Deo agendas: una enim parte videtur, sane maius teneri innocentem, quia, quanto quispiam excellentius donum a benefactore accipit, tanto magis ad referendas gratias obligatur; constat autem maius donum esse innocentiam, quam amissa iustitiae restitutionem; ex alia autem parte legitur, Christum Dominum dixisse apud Lucam (*c. 7*): *Cui minus dimittitur, minus diligit*: igitur eadem ratione plus tenebitur ad gratiarum actionem. Hanc non dum aliter melius solvendam censui, quam si eiusdem s. Thomae, theologorum facile principis, solutionem hic apponerem; ait enim (*in praec. q. 2*): *Dupliciter potest esse ex parte dantis maior gratia. Uno modo ex quantitate dati: et hoc modo innocens teneatur ad maiores gratiarum actiones, quia maius donum ei datur a Deo, et magis continentur ceteris paribus, absolute loquendo. Alio modo potest dici maior gratia, quia magis datur gratias: et secundum hoc magis teneatur ad gratiarum actiones ponentes, quam innocens, quia magis gratis datur illud, quod ei datur a Deo. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA XIII.

Multipli expositione elucidantur verba illa: Exultavit spiritus meus in Deo salvatori meo: insuper de magnitudine huius exultationis disserere incipimus.

Magnus pater s. Ambrosius (*in exhort. ad Vir.*), sympathiam, et similitudinem non modicam inveniens inter veterem illam Mariam sororem Moysis, et novam Mariam, Christi matrem, dixit: *Multas foeminas Scriptura divina in lucem eiecit, palmam tamen publicae salutis solis virginibus dedit. In veteri testamento terra, ac mari clauso Hebraeorum populum virgo per maria duxit; in evangelio auctorem mundi, et redemptorem virgo generavit. Sed non solum in hoc similes fuere, sed et in prophetiae dono, quia sicut illa fuit propheta, etiam et Deipara Maria, iuxta illud Isaiae (*c. 8*) in persona Dei dicens: *Accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium*: quod si Maria illa soror erat Moysis legislatoris, et Aaron summi sacerdotis, haec pariter soror, et mater est Christi summi legislatoris, ac summi sacerdotis; unde ipse utramque hanc cognitionem sororis et matris, illam secundum spiritum, hanc secundum carnem recognoscens, in Canticis (*c. 4*) vocat illam, *Soror mea, et sponsa*: in Psalmis vero fatetur se eius esse filium (*Psal. 115*): *Ego servus tuus, et filius ancillae tuae*: ac tandem sicut illa post liberationem populi israelitici a Pharaonis durissima servitute, et illius, ac reliquorum Aegyptiorum in mari rubro submersionem, cum summo iubilo, et exultatione magnificabat Dominum perceleri illo Cantico (*Exod. 15*): *Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, equum, et ascensorem deiecit in mare: non se-**

cus b. Virgo adventu Christi inceptam iam humani generis redemptionem celebrans, velut divina tympanistria ob tantum beneficium gratias Deo agens, inlontan celeberrimum hoc canticum: *Magnificat anima mea Dominum*; cum autem continuo subiunxerit: *Et exultavit spiritus meus in Deo salvatori meo*. Perquirunt Interpretes, quodnam sit discrimen istud inter animam et spiritum. Sanctus Thomas (*sup. epi. ad Heb. cap. 4*) ait: *Spiritus in nobis dicitur illud, per quod communicamus cum substantiis spiritualibus; anima vero illud, per quod communicamus cum brutis: et sic spiritus est mens humana, intellectus scilicet, et voluntas. Didicit hoc d. Thomas a d. Augustino (*li. 22. de Gen. ad lit. c. 7*) dicente: *Dicitur spiritus ipsa mens rationalis, ubi est quiddam tamquam oculus animae, ad quod pertinet imago, et agnitio Dei. Uterque tamen discrimen hoc mutavit a verbis illis d. Pauli (*1. ad Thess. 5*): *Et integer spiritus vester, et anima, et corpus conserveatur*. Gregorius enim Nyssenus (*sup. c. 3*) sic illa interpretatur: *Spiritus Apostolos rationalem partem indicavit, animam vero dicens, indicavit partem sensitivam: itaque anima sumitur pro inferiori portione hominis, quae illi cum ceteris animalibus communis est, quae vegetabilis, et sensibilis est, sicut illa; spiritus vero pro superiori portione, per quam homines angelis simulantur. Ab hac expositione non abhorret illa alia Cardin. Hugonis (*super Magn.*) dicens: *Animam, et spiritum idem sunt, sed anima dicitur, inquantum animat, et vivificat corpus; unde hic bene vivendo, magnificat Deum qui fecit eam; spiritus autem dicitur, inquantum coelestia contemplatur, cuius proprie est exultare in Deo. Alii, ut idem discernens magis explicit, dicunt, animam sumi pro vita ipsa vegetabilis, et sensibilis; spiritum vero accipi pro acuminis rationis, pro apice mentis, pro intelligentiae scintilla, seu synderesi. At Cornel. Ianusius (*in conc. Evang. sup. Magn.*), licet probet huiusmodi discrimen, putat Marianis verbis aptari minime posse, cuius satis apparentem reddit rationem in haec verba: *Haec tamen differentia hic locum habere non videtur. Neque enim conveniens aliqua ratio assignari potest, quare animam dicat magnificare, spiritum vero exultare, cum aequae apte dicere potuisset spiritum suum magnificare, animam vero exultare; non Psalmista: *Animam, inquit, mea exultavit in Domino, et delectabitur super salvatori suo. Proinde quod prius dixit, animam, postea dicit, spiritum: Hebraeorum more dixit, quibus solemne est idem, in canticis canere, sub aliis repetere verbis. Hoc idem prius illo docuit Hugo Victorinus (*sup. Magn.*), in haec verba: *Idea fortasse alio verbo repetitum est, nam anima et spiritus, in homine idem est, quaevis aliud anima, et aliud spiritus notet. Ego vero salva pace tantorum Doctorem maxime, pro spiritum hoc loco Deiparam intellexisse solam voluntatem suam, quia inter tres potentias spirituales animae, ad solam ipsam pertinet exultare, et gaudere; unde quia anima per omnes sua potentias, dum ad Dei gloriam quaecumque agunt, operantur, iuxta illud Pauli (*1. Cor. 10*): *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite*: vere*******

Deum magnificat, ut adnotavit d. Chrysostomus (ho. 14. op. imperf.): ideo h. Virgo scilicet dixit: *Magnificat anima mea Dominum*. Quia tamen exultare non ad omnes animae potentias, sed ad solam voluntatem spectat, sapienter subiunxit: *Et exultavit spiritus meus*, id est voluntas mea, in *Deo salutari meo*. Et forte hunc sensum, et intelligentiam contendant, qui in commentario huius loci docent, per *spiritum* intelligi hoc loco partem illam, per quam homo est imago Dei. Est autem sententia d. Damasceni (lib. 2. c. 22), hanc esse liberam voluntatem, qua praediti sumus; quippe sicut Deus liberum habet arbitrium, et dominus est suarum actionum, ita homo perfectus adeo super suas operationes dominio praesert, ut nihil sit, quod eius voluntatem cogendo inflectere valeat.

Addit deinde b. Virgo: *Spiritus meus*: certe spiritus Virginis spiritus erat Christi, iuxta illud d. Pauli (Gal. 2. 28): *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus*: quomodo ergo beata Virgo dicit: *Spiritus meus*? immo propter hanc eandem rationem potuit beata Virgo dicere *spiritus meus*, quia omnia bona erant Filio, et Matri communia, unde hoc ipso quod spiritus matris erat spiritus Christi, poterat ipsa vocare illum spiritum suum. Dixit etiam *spiritus meus* ad differentiam eorum, qui cum propter peccata sua diaboli servituti se subiungunt, aut carnis illecebris, aut huius mundi divitiis, et vanis honoribus se tradiderunt, spiritus quidem illorum non tam ipsorum, quam diaboli, carnis, et mundi est, iuxta illud (Joan. 1): *Qui facit peccatum, servus est peccati*: cum igitur b. Virgo nullus alterius, quam Christi servituti subiaceret, cui servire regnare est, iure optime dixit, *spiritus meus*. Ad haec legitur (lib. 2. Reg. 24), quod David volens altare Domino aedificare, et in eo offerre ei holocausta, noluit ex gratuito oblati ab Areama id praestare, sed pretio ab illo quidquid opus erat, emit, ut sic non aliena, sed quae sua propria erant, Deo offerret: sic Deipara volens Deo referre gratias, ut significaret se non aliena, sed propria in gratiarum actionem Deo offerre, notanter dixit: *Exultavit spiritus meus*.

Porro iam de magnitudine exultationis, ac de variis causis illius, quam Deiparae Mariae voluntas pensavit, ex professo disserere incipiamus. Hanc exultationem Virginis alius perpendens doctiss. Rupert. (in 1. c. Cant.) exclamavit, dicens: *O beata Maria, inundatio gaudii, vis amoris, torrens voluptatis totam te operuit, totamque obtulit, et sensit quod oculis non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*. Equidem si propheta Zacharias sub metaphora filiae Sion, et filiae Ierusalem dilectam Dei plebem ad laetitiam magnam invitavit his verbis (Zach. 9): *Exulta satis filia Sion, inebria filia Ierusalem*; ecce *Rex tuus venit tibi iustus et salvator*. Et si pater Abraham ex sola prophetica cognitione Verbi incarnati, ac singulari alacritate fuit perfusus, de qua Christus Dominus (Joan. 8): *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit, et gavisus est*: ac tandem, ut pene immo-meros antiquos Patres reliceam, quos sola venturi Christi cogitatio singulari gaudio demul-

cebat, prophetam Habacuc tantum referam, qui sola Redeptoris quem desiderabat memoria, infernam laetitiam inferni continere non valens, in externa illa exultationis verba prorupit (Habac. 3): *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo*: quanto, quae, maiori laetitia credendum est Virginem exultasse, quae non tropos, et figuras, non imagines, et umbras incarnati Verbi divini, sed ipsum Verbum divinum humana carne indutum, in utero suo, ex proprio sanguine conceperat? Praedixerat hanc Virginis exultationem Isaias (Isai. cap. 44): *Exultabis in Domino, et in sancto Israel laetaberis*, sed plenius idem propheta idipsum vaticinans, dixit (Isai. 35): *Laetabitur deserta, et inopia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium, Germinans germinabit, exultabit laetabunda, et laudans; gloria Libani data est ei, decor Carmeli, et Saron*: deserta quidem, et inopia fuit b. Virgo, cum de ea praedictum esset (Ezech. 44): *Et vir non transibit per eam*: partus eius instar floris fuit; quia sicut hic absque hominis cultura in deserto nascitur, ex sola fecunditate terrae, et coelesti solis virtute, ita Christus, qui de seipso ait (Cant. 2): *Ego sum flos campi*, ex terra foecunda Mariae, et coelesti virtute Spiritus sancti in eam superveniente, conceptus, et natus fuit: *gloria Libani*, qui candor interpretatur, *data est ei*, ad significandum virginitatis candorem, quo b. Virgo mirifice effulsit: *decor etiam Carmeli* non ei denegatur, qui erat maxima fructuum uberitas, cum vere terra virginea, ac semper benedicta Mariani uteri fructum super omnia benedictum. Refert Beda (lib. 6. in Cant.), quod Elias in monte Carmelo, ut colligitur ex 3. Reg. 18, flexis genibus oravit Dominum, et post longam scintillam pluviam ab eo impetravit ad irrigandam sterilem terram: mihi sane videtur nunquam mentem Carmelum maiorem decorem habuisse, quam cum praesentia Eliae ad Dominum sic orantis ornabatur; non dissimiliter ex nullo capite maior unquam decor infuit Mariae, quam cum in ventre eius adfuit aeterni Patris Filius, humana carne indulus orans, ac deprecans, ut sterilem terram generis humani, peccatorum spinas, et tribulos germinantem, inundantis divinae suae gratiae pluvia irrigare digaretur. Apte sane tunc dicitur Virgini illud (Isai. 12): *Exulta, et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui, sanctus Israel*: hanc ergo praesentiam divinitatis corporalem in ea inhabitantis persentientia Maria exultabat laetabunda, ac prae exuberantis gaudii copia in exultationis canonicum prorupit dicens: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*. Potebat b. Virgo tunc potiori iure, quam Iob, verba illius sibi usurpare (c. 32): *En venter meus quasi mustum, absque spinaculo, quod lagunculas novas dirumpit: loquar, et respirabo paululum; aperiam labia mea, et respondebo*. Respondendo, huiusmodi, ac exultatione cor meum plenum adeo servet, ut silentii lagunculas dirumpens, non possit se continere, quin externa voce in di-

vinas laudes prosiliat. Ad hoc arbitror alludere verbum illud *exultavit*, quod consulto mihi videtur usurpasse Virgo, tum quia, cum laetitia importet interiori animi alacritatem, exultatio vero, quae *extra saltatio* apud Latinos interpretatur, gaudium denotet, externo aliquo indicio corporis manifestatum, ut observavit Albertus Magnus (in *comm. hui. loci*): ideo Deipara, ut significaret laetitiam eius talis conditionis esse, ut melius quam David dicere potuisset (Ps. 83): *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vicum*; idcirco non usurpavit verbum laetandi, sed exultandi; tum etiam ut significaret laetitiam eius non se continuisse intra latibulum voluntatis, sed se ultra effudisse in appetitum sensitivum, qui etiam sub nomine spiritus apte intelligitur, iuxta communem naturalium philosophorum, ac medicorum sententiam, quibus trita, et familiaris est divisio spiritus in vitalem, sensibilem, et motivum; vitalis residet in corde, velut in vitae fonte; sensibilis in cerebro, habetque se instar vehiculi virtutem animae sensibiles deferentis ad exercitium suarum operationum; motivus tandem sedem habet in epate, unde omnia membra virtutem ad se localiter movendum mutuatur: dicens ergo b. Virgo (Luc. 1): *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, perinde fuit, ac si dixisset: *exultavit spiritus meus vitalis in Deo salutari, exultavit spiritus meus motivus in Deo salutari meo*: vel aliter: *Exultavit spiritus meus vitalis in Deo Patre, qui instar cordis est fons vitae, a quo emanant reliquae divinae personae*: *Exultavit spiritus meus sensibilis in Filio, quia sicut cerebrum est, in quo specialiter residet intellectus, ratio, et sapientia, ita Filius est, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei* (Coloss. 2): *Exultavit tandem spiritus meus motivus in Spiritu sancto, quia Spiritus sanctus instar epatis huius mystici corporis vim motivam ad progressum spirituales impertitur, iuxta illud Ezechielis (c. 1): Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur*. Cum igitur b. Virgo propter copiosae gratiae plenitudinem, quae anima eius exuberabat, non tam sibi, quam Deo viveret, non tam sibi, quam Deo seniret, non tam sibi, quam Deo moveretur, et vigilans, ac dormiens tota esset in Deo homine absorpta, verecissime canere poterat, *exultavit spiritus meus, vitalis, sensibilis, et motivus in Deo salutari meo*.

Ut tamen magnitudo huius exultationis magis nobis innotescat, observandum est, quod solet gaudium, et exultatio multis ex causis provenire, tum ab re diu, multumque desiderata, et praeter spem obtenta; tum ex inventione thesauri, cuius prae gaudio vadit inventor, et vendit universa, quae habet, ut emat agrum in quo laeta; tum de filio nato in mundum gaudium concipitur, iuxta illud (Joan. 16): *Cum peperit filium, iam non meminit pressurae propter gaudium*; tum de victoria parta victore, iuxta illud (Isa. 9): *Sicut exultant bellatores capta praeda, quando dividunt spolia*; tum de praesentia sponsi, et dignitate per matrimonium habita (Isa. 62): *Gaudebit sponsus*

super sponsa. Tale fuit gaudium, et exultatio Virginis: nam in primis incarnationem quam iusti, et sancti, et reges, ac prophetae desiderant, et propter quam Abraham exultavit, ut videret diem eius, Maria prima excellenti sua fide, et humilitate obtinuit, cum tamen nihil minus fortasse, quam de se cogitaret. Deinde, quia ipsa prima invenit eum in quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae reconditi (Coloss. 3): nec pro omnibus invenit hominibus; nam illi dictum ab angelo est, *invenisti gratiam apud Deum, quam gratiam illa libenter in omnes effundit, ut mater pietissimae; neque ob aliam causam Christum in manibus gestare depingitur, quam, ut ipsam nobis ad donandum filium suum perfacilem esse, et promptam intelligamus*. Tertio, si magna quae de ortu filii, quem qualis futurus sit ignoramus, laetitia concipitur; quae fuit quaevis virginis laetitia, et exultatio, quae Dei Filium in se incarnandum novit, nec nisi expresso suo consensu, et voluntate, et de se sola sine opera viri? profecto latissimum gaudiorum campus Virgini patuit, in quo mirifice exultare, et recreari potuit. Quarto laetata est de gloriosa contra serpentem antiquum per humiliationem Filii Dei parva victoria: siquidem Maria Filio Dei arma expugnandi daemones, nempe carnem, et sanguinem, contulit. Deinde et ipsa caput illius contrivit, hoc est, peccatum originale, quod ceterorum criminum caput, et origo est, vel omnino quamlibet suggestionem maligni spiritus, quam ipsa Virgo corpore, et spiritu sancta, adversus caecodemonem carnalia vel superba suggerentem facile superavit. Deinde gavisata est b. Virgo de praesentia Filii Dei, quia salva virginitate sua, eius mater est benedicta, sponsaque dilectissima, concipiens in spiritu omnes electos, eorum salutem iuvando, illamque precibus assiduus a Filio impetrando. Cum autem assero Deiparam gavisam fuisse de praesentia Filii sui, non solum loquor de praesentia eius corporali, ratione humanitatis, sed et divinitatis, quam tempore incarnationis praesentissimum sibi habuit, melius quam Moyses, et Paulus in ratione obiecti beatifici; unde d. Cyprianus (serm. de Christi nativ.) non dubitavit dicere, *Datum fuisse Virgini abundantiorum gloriarum, quae Christi praesentia intus, et foris frueretur*: et d. Augustinus (in *exposit. super Magnif.*) expressius idipsum concitasti b. Virgini, inquit: *Vidisti maiestatem, gustasti suavitatem, ideo quod intus hauseras, foras propinasti, et in institio eius exultasti*: et paulo inferius: *Reverenda universi aeterni numinis maiestatem, in interna visione contrivisti se manifeste declaravit*. Hoc idem docuerunt etiam d. Antoninus (4. p. summ. Theolog. tit. 15. c. 17), Albertus Magnus (super *Missus* c. 96), et Cancellarius parisiensis (Alphab. SS. tit. 9). Atque hinc est, quod b. Virgo ut significaret eximiam illam, atque indicibilem exultationem, quam tempore incarnationis Verbi divini percipit, non dixit de praesenti *exultavit spiritus meus*, sicut dixerat, *Magnificat anima mea*, sed de praeterito subiunxit, *exultavit spiritus meus*, quo, ni fallor, quasi digito indicare voluit lac-

litiā illam, qua Christum concipiens anima eius fuerat perfusa. Quod si regius Vates refert, ob redemptam Sionem laetatos, et exhilaratos valde Israelitas, cecinisse canticum illud (Psal. 125): *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati: tunc repletum est gaudium os nostrum, et lingua nostra exultatione: tunc dicent inter gentes, magnificavit Dominus facere cum eis: magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus laetantes. Si igitur populus Israel videns redemptionem Sionis adeo exultavit, quidni b. Virgo clare videns non solum humani generis redemptionem, sed et illius auctorem Deum et hominem, exultaret? Exultat sane Deipara, cum Dominus captivitatem mundi convertere iam inciperet, facta est Virgo sicut consolata, incredibili animi consolatione recreata; tunc repletum est gaudium os eius, et lingua eius exultatione; tunc dictum est inter gentes, magnificavit Dominus facere cum illa; facta est laetans, et exultavit spiritus eius in Deo salutari suo.*

Illud autem in quaestione vertunt interpretes hoc loco, an beata Virgo prius magnificaverit Dominum, deinde exultaverit in illo; an vero e contra, prius exultaverit, deinde magnificaverit? d. Bonaventura (super Luca.) hoc secundum verum existimat dicens: *Quia enim spiritus interior exultaverat, ideo anima in voce magnificabat; et ideo exultationem de praeterito, et magnificationem de praesenti ponit, quia exultatio est natura prior: vulgo seaphicus Ductor, quod b. Virgo coelestium gaudiorum, ac aeternae dulcedinis miram atque indicibilem suavitatem ex Christi conceptione praesentens, in Deo salutari suo in primis exultaverit, et deinde Dominum summo voce laudans magnificaverit, quasi internae laetitiae, tamquam causae, externa indicia, ac certa argumenta veluti effectus praebens: confirmantque haec interpretationem verba d. Basilii (in comment. huius loci), dum explicans verba illa, *Exultavit spiritus meus*, inquit: *Primus fructus spiritus est pax, et gaudium: prius exultavit, deinde magnificavit, cum magnificatio sit primus fructus spiritus. Ceterum alii non minus probabilem putant oppositam Cornelii Iansenii in sua concordia expositionem, ubi ait: Bene autem prius dicit, Magnificat, deinde, exultavit; cum enim magnificare pertineat ad intellectum vim, exultare vero ad voluntatem, et affectum, istud ex illo nascitur.**

Sed iam tempus est, ut sequentia verba, in salutari meo, exponere aggrediamur. Similia his verbis sunt illa Davidis (Psal. 34): *Anima mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari eius: necnon illa alia Habacuc (c. 3) in suo cantico: Ego vero gaudebo in Domino, et exultabo in Deo Iesu meo: persimilia etiam illa Annae Samuelis (1. Reg. 2): *Exultavit cor meum in Domino, lactata sum in salutari tuo. Nominem tamen salutarem intelligit sine dubio b. Virgo non Deum praecise, sed iam hominem factum; ut sic enim est salus, redemptio, et reconciliatio nostra: unde exultatio illa, in salutari suo, laetitia sane erat spiritualis, et sensibilis, qua Deipara gestiebat in prolem suam,**

quam utero gestabat. Hinc eleganter d. Augustinus (ser. 2. de annunc.): *Promittitur Virgini filius per visitationem sancti Spiritus: haec illa audiens gaudet, cupitque effici mater; et rursus: Exultat Maria, et matrem se laeta miratur, et de Spiritu sancto se protulisse gaudet; nec quia peperit inuoluta, terretur, sed quia genuerit cum exultatione, miratur. Angelus Caestinus (super Miss. discurs. 34. in fin.) aliam viam ingressus, per illa verba in Deo salutari meo, omnes divinas personas intelligi autumat, in Deo, inquit, ecce Patrem; salutari, ecce Filium; meo, ecce Spiritum sanctum, quia speciali ratione se Virgini donaverat in sponsum. Addit etiam, quod cum Deus simul sit creator, salvator, et glorificator, ad haec tria munera respiciens b. Virgo dixit: In Deo salutari meo: in Deo, propter respectum creationis, iuxta illud (Gen. 1): *In principio creavit Deus coelum, et terram: salutari, propter respectum redemptionis, iuxta illud (Luc. 1): *Benedixit Dominus Deus Israel, quia existavit, et fecit redemptionem plebis suae: quia tandem, propter respectum glorificationis, quo dum Filius Dei factus erat filius Virginis, certissimum futurae gloriae pignus acceperat. Non inficiamur haec mystica; sed prima expositio literalis est, immo crediderim consulo non dixisse, exultavit spiritus meus in Deo creatore meo, sed salutari meo, quia non tam de creatione, quam de salute, et iustificatione nostra nos exultare debere doceret; nihil enim nobis creari utile fuisse, nisi per Christum recreari et reparari fuisset. Unde observatione digna est mirabilis haec antithesis, nimirum, quod Deus in creatione mundi gaudet, et delectatur (Prov. 8): *Quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo; in reparatione vero lacrymatur, iuxta illud Pauli (Heb. 5): *Cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro reverentia sua: e contra vero homo cum nascitur, gemit, et plorat (Sap. 7): *Primum vocem emisit plorans; cum vero iustificatur, licet alioquin dolores, ut parturientis antea sustineat, vehementer tamen postea laetatur, iuxta illud (Joan. 16): *Cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuram propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Voluntas quidem peccatoris, cum ad Deum convertitur, Spiritus sancti virtute foecundata parit spiritum salutis, hoc est, actum conversionis; et de huiusmodi partu gaudet, quia natus est homo in mundum, tunc enim cum iustificatur, incipit esse homo, quia vere ante iustificationem, ob deformitatem peccati, comparatur est iumentis, et similis factus est illis: dolore igitur, et anxietate illa, quam in cruce sustinuit, lacertus est Christus peccatori laetitia, et gaudium, quo in iustificatione sua perfunditur. Ex quo etiam constat, obligatos nos esse Deo propter beneficium redemptionis, quam creationis, tum quia creavit nos gaudens, redemit dolens; tum quia dolore suo iustificationis nostrae gaudium acquisivit, et comparavit; tum quia in creatione esse naturalem accepimus, in redemptione vero, cuius virtute iustificamur, esse supernaturalem et divinum participamus, di-*******

vinas consortes facti naturae, ut verbis d. Petri (2. Pt. 1.) loquar.

Sed perge iam aperire singularia arcana, quae latent in verbo illo, meo: recte quidem ait meo. Primo, quoniam totum corpus Christi, quo mediante Deus factus est salutare nostrum, ex solius Virginis purissimis sanguinibus formatum fuerat, nullam in eo foetu vir partem habens, utpote, quae sola Spiritus sancti ombinatione concepisset. Secundo, propterea appellat Deipara Christum Dominum Salvatorem, sed salutare suum, ut universale communis salutis beneficium peculiare et proprium sibi faceret ob magnitudinem suae caritatis, et gratitudinis erga Deum: hanc imitatus d. Paulus (ad Galat. 2.) loquens de Christo, dixit: *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me; super quae verba d. Chrysostomus (super epist. ad Gal.) exclamat: *Quid facis Paule, dum communia propria tibi vindicas; quaeque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Cum consideraret apostolus infirmitatem humanae naturae, et ineffabilem Dei sollicitudinem, tum quibus ipsum malis liberasset, quae bona largitus esset, inflammatus illius desiderio, hunc in modum loquitur. *Quandoquidem et prophetae non raro Deum communem, sibi proprium faciunt, hoc modo loquentes: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Praeterea vero declarat Paulus, hoc quoque pra se esse, ut quisque nostrum non minus agat gratias Christo, quam si ob ipsum solum advenisset. Neque enim recitaturus erat, vel ob unum tantum exhibere dispensationem; haecenus d. Chrysostomus. Tertio addidit Deipara consulo particulam illam meo, coniunctam cum salutari, seu Iesu, qui Salvator interpretatur, ut significaret se speciale aliquam, ac singularem salutis rationem prae omnibus aliis a Christo obtinuisse, ut cum alios a peccati originalis morbo sanaret, Virginem ab incurrenda huiusmodi infirmitate praeservasset, ac propterea inter redemptos a Christo ipsa principem locum teneret. Quia tamen de huiusmodi praeservatione permulta dixi (lib. 1. de arc. praedestinat. atque immac. conc. Deip. Mar.), nunc solum celeberram quandam Papieniam legem ei aptabo: ille quidem (in l. sunt, ff. de relig. et sumptib. funerum), loquens de inferendo cadavere in alieno fundo docet, o pus esse non semel iustitiae rationem religionis rationi postponi; verba eius sunt haec: *Rationem insuper habemus, idest continentiam, qua nonnumquam in ambiguis religionis quaestionibus omitti solet, nam summa ea est ratio, quae pro religione facit: licet igitur iuxta legem iustitiae divinae omnes per naturalem propagationem ex primo praevaricatore Adam oriundi peccatum originale incurere debeant, merito tamen b. Virgo excipitur ab ea communi lege: quia ex eo quod futura erat mater Dei, ratio religionis, quae quandoque iustitiae rationi anteponebatur, postulabat, ne peccatum originale contraheret: Nam summa ea est ratio, quae pro religione facit: si ergo summa est ratio religionis, maior ea non est ratio illa communis divinae iustitiae, ut incurrerent omnes peccatum originale. Ut significaret igitur b. Virgo, hac speciali ratione praeservan-*****

do illam a peccato originali, Christum Dominum fuisse Salvatorem, et salutare suum, idcirco notanter dixit: *In Deo salutari meo*, licet alioquin non ipsis solius, sed et omnium communis esset Salvator. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

In eadem verba: Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: exultationem Virginis prosequimur, cuius exemplo docemur in Creatori, non in creaturis exultare, et delectari debere; maxime cum creato bona, cuncta, brevia, fallacia, et futillia sint.

Divus Augustinus (super Psal. 83) versans illa Davidis verba: *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vicum, ait: *Unde exultatio, nisi de spe? In quo exultaverunt? In Deum vicum. Quid ibi exultaverunt? Cor meum, et caro mea. Unde exultaverunt? Nam et passer, inquit, invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Quid est hoc? Duo dicitur, et duo reddidit in similitudinem avium. Dicitur exultasse cor suum, et carnem suam, et hinc duobus reddidit passerem, et turturum, cor tamquam passer, cor tamquam turtur. Invenit sibi domum passer, invenit sibi domum cor meum. Recte ponatur d. Augustinus hanc exultationem, referens illam ad duo illa animalia passerem, et turturum, ita ut cor tamquam passer inveniat sibi domum, ubi quiescat, et caro, tamquam turtur, inveniat sibi nidum, ubi ponat pullos suos. Sic spiritus Virginis quiescit in Verbo divino, tamquam in proprio eius centro, et eius caro in eodem exultavit, carnem iam indulo, collocando in illo omnes pullos affectionum, et operationum suarum. Merito ob hanc rationem sponsus vocavit Virginem columbam (Cant. 2): *Veni columba mea, amica mea: fuit enim permixtio columbae emissae a Noe tempore diluvii, cuius pes non extra arcam, sed in arca solum quiescit, unde neque minimam diluvii aquae guttam pedibus suis tetigit; per nos obscure significatur affectus Deiparae, per pedes significatos, non in creaturis, sed in solo Deo quiescivisse, et exultasse; unde sicut illa Noe columba in laetitia argumentum, quo ira Dei cessasset, nunc virentis olive in ore delucit, sic b. Virgo, in signum laetitiae ob placatum divinum furorem propter Filium sui in carne adventum, cecinit mellifluum illud canticum (Luc. 1): *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Sileo Mariae mirificam exultationem, quando agnovit, ab originali macula ob merita Filii sui fuisse divinitus praeservatam: sileo laetitiam, quam percepit, quando in templo fuit a parentibus ipsa praesentata, et divino cultui mancipata: sileo alacritatem, qua angelica salutato illam affecti, certiorum cam faciens praedestinatum, et electam fuisse in Dei matrem: taceo iucunditatem, qua Elisabetham visitavit, et Ioannem tamquam divinam virtutis instrumentum voce sua sanctifi-****